## *DE POENA PROPRIETARII.*

## CAPVT NONVM.

QVoniam per ſolemnem, ſiue expreſſam, ſiue tacitam profeſsionē, Fratres noſtri, omnibus, & ſingulis quibuſcumq; bonis, iuribus, & actionibus ad ipſos tunc, vel in poſterum, quouis modo, attinētibus, & quoad proprietatem: & quoad omnem, & totum penitùs eorumdem vſufructum, nihil de eis ſibi, quouis modo, reſeruantes, efficaciter, & cum effectu renunciant: ita vt deinceps, nec etiam verbo, aliquid proprium, ſiue ſuum, dicere debeant: ſtrictè præcipimus, omnibus, & quibuſcũque Fratribus Religionis noſtræ Profeſsis, vt nullus eorum (ſicut canis, qui reuertitur ad vomitum) per ſe, vel interpoſitam Perſonã, habeat priuatũ dominiũ, vſum, vel vſufructũ pecuniarũ, redditiũ, vel quorumcumq; bonorum mobiliũ, aut immobiliũ, aut ſe mouentium, ſed omnia quantacumque, & qualiacumque, & quomodocumque acquiſita, habuerint, vel eis donata fuerint, in merà, & liberà poteſtate ſui Prælati teneantur reſignare; nihil penitùs ſibi retinentes, ſeù quouis modo reſeruantes: aut dicentes. *Quid manducabimus, aut quid bibemus? aut quo operiemur?* Hæc enim omnia gentes inquirũt: immò potiùs deponētes omnem ſollicitudinem in craſtinum, totam penitùs ſpem in illum proijciant, qui ſic abundè paſcit volatilia cœli, quæ neque ſerunt; neque metunt, neque congregant in horrea: & ſic ornatè veſtit lilia agri; quæ non laborant; neque nent: & obediētes cōſilio Domini Saluatoris, primùm quærant Regnum Dei, & iuſtitiam eius, ſeruando eius mandata, & reddendo eidem, quod in profeſsione vouerũt, vt cōſequi mereātur liberaliſsimam, ac certiſsimam





mam promiſsionem eiuſdem Saluatoris Noſtri, dicentis. *Et hæc omnia adÿcientur vobis.*

Vndè quicquid Fratribus datur in eleemoſynam, pro Miſsis, vel quibuſcumque orationibus, prædicationibus, lectionibus, aut confeſsionibus, vel pro quacumque arte, vel artificio, induſtriâ, vel labore, in rem communem redigatur, & cui neceſsè fuerit præbeatur: ita vt iuxtà B.P.N. Auguſtini Regulam: Nemo ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera noſtra in vnum fiant, maiori ſtudio, & frequētiori alacritate, quàm ſi nobis ſinguli propria faceremus: & vnuſquiſque tantò ſe ampliùs proficere noſcat, quantò libentiùs, & feruentiùs pro communi vtilitate prædicauerit, legerit, vel quodcumque aliud fecerit.

Pia tamen, & laudabilis diſcretio ita à Superioribus obſeruetur, vt ipſorum Fratrum, quorum causâ, huiuſmodi bona ad Monaſterium venerint, quoad eorum neceſsitates, pro loco, & tempore, in huiuſmodi bonis, eis donatis, vel relictis, ab eis vtcumque acquiſitis, diſpenſandis, ſpecialem habeant rationem. Ad hanc autem communitatem integrè ſeruandam in omnibus, & per omnia, & ipſi Priores locorum teneantur.

Præcipimus autem in virtute Sancti Spiritus, ac ſalutaris obedientiæ, vt ſi pecuniæ alicui Fratri, intuitu priuatæ Perſonæ, ab aliquo donatæ fuerint, Superiori exhibeantur, infrà viginti quatuor horarum ſpatium à receptione earum, vel à reuerſione Fratris in Conuentum. Prior verò illas in Depoſito pro communi vtilitate reponat. Prior etiam pecunias ſibi in eleemoſynã datas, intuitu ſuæ Perſonæ, in Depoſito, pro communitate, vt ſuprà, habere omninò teneatur.

Qui comeſtibilia, vel alia parvi momenti, receperit, ſine Prioris licentiâ: pro primâ vice, comedat in terrâ, in medio Refectorij: pro ſecundâ, diſciplina ei imponatur: dein-

ceps ad arbitrium Prioris puniatur, & ſemper re acceptâ priuetur.

Qui verò pecuniam, vel rem aliam magni momenti, ſine licentiâ Prioris, à quocumque receperit: ſi ipſam pecuniam, vel dictam rem habuerit, abſolui ab aliquo Confeſſore non poſsit; niſi priùs id tale, quantum, & quale fuerit, Priori oſtenderit: hæc enim recipi ab aliquo prohibemus (abſque Superioris expreſsâ licentiâ) ſub præcepto. Sub quo etiam præcipimus; ne aliquis Frater extraneis Perſonis dare, donare, vel vendere, ſeu permutare cum eis, poſſit aliquid non parui momenti, abſque eàdem expreſsâ licentiâ ſui Superioris.

Quòd ſi huiuſmodi pecunia, vel res accepta, ſiue data, fuerit valoris vnciæ argenti, ſiue eam habeat, ſiue non ille, qui accepit, vel dedit, à nullo, prӕterquam à Priore, abſolui poſsit, & ſic delinquens pœnæ grauioris culpæ, per mẽſem, ſubiaceat.

Si verò maioris, vel minoris valoris, fuerit res celata, minuatur, vel augeatur pœna reſpectiuè: & vltra hãc pœnam, acceptis omnibus priuetur: & data (ſi fieri poſsit) recuperare compellatur, & contra hanc ſupradictam formam de conſignandis cum effectu omnibus rebus in manibus, & liberà poteſtate, & voluntate Prioris, nullam licentiam in Congregatione noſtrâ dari volumus.

Si quis autem (quod Deus auertat) in tantum progreſſus fuerit malum, vt proprietarius moriatur, ſi hoc fuerit euidens, & manifeſtum, beneficio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, omninò priuetur, vt viuentes terreantur.

Statuimus etiam, quòd nullus Frater Congregationis noſtræ, ſiue Prior, ſiue ſubditus ſit, cuiuſcumq; etiã ſit gradus, vel dignitatis, quouis modo, extra Religionem, veſtes, libros, ſiue aliquid aliud, ſibi ad vſum conceſſum, ponere audeat; niſi de expreſsâ licentiâ ſui Prioris: ſi fuerit

ſub-



ſubditus. Si verò Prior fuerit de ſcitu, & conſenſu Patrũ Conſilij: & hoc ſemper fiat, relicto, in depoſito, lucido inuentario. Quicumque verò contrà fecerit, ſine aliquâ diſpenſatione, rebus ipſis efficaciter priuetur, & de ipſis, ſicut de bonis Fratrum decedentium omninò diſponatur.

Vt autem omnis priuatæ proprietatis amputetur occaſio: præcipimus omnibus, & ſingulis noſtræ Religionis Prioribus, vt cunctis Fratribus ſuæ Familiæ in infirmitate omnia neceſſaria, omni cum charitate, & hilaritate, ſubminiſtrent. In ſanitate verò curent, vt quamuis ſit in quo probetur votum paupertatis, & ſui ipſius abnegatio, non deſit tamen quo ſuſtentetur natura, & ad Diuinum obſequium, abſque aliquo incommodo, conſeruetur.

Licèt verò ex licentiâ, & priuilegio Sedis Apoſtolicæ noſtra Sacra Religio; non obſtante titulo mẽdicitatis, poſsit bona ſtabilia in communi ligitimè poſsidere: volumus tamen; ne vita, & ſtatus noſtrorum Fratrum à tam ſanctâ denominatione, atque titulo omninò deuiare, videatur, vt in ſingulis Conuentibus, quoad fieri poterit, per vnum adminùs Fratrem, iſta ſancta mẽdicitas, humiliter exerceatur.

*DE POENA RECVRRENTIVM AD ſæculares, pro ſua promotione, aut impunitate culpæ commiſſæ.*

## CAPVT DECIMVM.

Si quis, ſuâ promotione, vel adeptione Officij intra Religionem, aut ingreſſu, ſeu continuatione ſtudij, ſiue pro morà in Cõuẽtu, in quo eſt, vel mutatione ad aliũ, aut pro defenſio ne, ſeu immunitate culpæ commiſſæ contra

 volun-

voluntatem Superioris,preces , vel litteras Prælatorum, Principum,Magiſtratuum, aut quorumcumque nobilium, aut potentum Perſonarum, extrà Congregationem noſtrã,per ſe vel per aliũ,procurauerit,& obtinuerit:ſi propter huiuſmodi preces,vel litteras oporteat , vel cõtingat, quemcumque Prælatũ noſtræ Religionis (ne ipſe,aut Religio damnum,aut indignationem talium Perſonarum incurrant) concedere huiuſmodi gratiam tali Fratri , eo ipſo,dictus Frater voce actiuà,& paſsiuà,per tres annos priuetur;niſi gratiæ ſibi taliter cõceſſę,ſine indignatione Pręlatorum,aut Principum huiuſmodi, ſtatim renunciauerit. Loco inſuper,per idem tempus,priuetur: ita vt ſit vltimus ſui ordinis reſpectiuè.

Si verò aliquis,de quo probabiliter creditur,quòd tales preces,vel litteras procurauerit,id ſe feciſſe negauerit ; ſi gratiæ huiuſmodi renunciare noluerit,ad purgationẽ canonicam compellatur,& ſi conuictus fuerit pœnà taxatà puniatur: & ſi ex his offenſa , vel damnoſa indignatio Religioni, vel cuicumque Prælato concitata fuerit , pœnam grauioris culpæ per menſem ſuſtinere cogatur , vltrà pœnam prætaxatam.

## NOTAE.

*VT noſtri Fratres honorum , & dignitatum gradus, ſanctitate vitæ , & alijs Religioſis virtutibus, promereri ſtuderent; non autem mendicatis fauoribus , tam ſæcularium , quàm Eccleſiaſticarum Perſonarum de gremio noſtræ Congregationis non exiſtentium , Gregorius Decimus Quintus opportunam Conſtitutionem ſtabiliuit , quæ in noſtris Priuilegijs eſt videnda.*

(.*.)





## *DE POENA CONSPIRANTIVM, ET eorum,qui in Religione fuerint Capita factionum.*

## CAPVT VNDECIMVM.

PRæcipimus,& in virtute ſanctæ obedientiæ mãdamus, Vt nulli Fratres,iuramento,aut fide præſtità, colligationem,aut confœderationem,faciant ; quòd ſibi mutuò non deficiant,in ſuis defenſionibus, ſuſtentationibus , & huiuſmodi, quæ notam conſpirationis oſtendunt ; nec de facto contra aliquem Prælatum , vel ſubditum,malitiosè conſpirent,ſub pœnà excommunicationis, ipſo facto incurrendà,quã trinà canonicà monitione præmiſsà, in his ſcriptis,licet inuiti, ferimus.

Si quis verò per cõſpirationem , coniurationem,colligationem,aduerſus aliquam Perſonam aliquod malũ machinatus fuerit,pœnam culpæ grauiſsimæ per menſem ſuſtineat,& ſi ob talem conſpirationem,vel coniurationem aliquis Prior,vel Conuentus, malum,ſiue detrimentum, vel ſcandalum notabile patiatur,pœnæ ſupradictæ ſubiaceat,per duos menſes.

Si autem aliquis Prouincialis,vel Prouincia,per tres.Si verò Reuerẽdiſsimus Prior Generalis, vel P.N.Vicarius Generalis,per annum; nec in iſtis pœnitentijs aliquis poſſit diſpenſare.

Annullamus verò,& irritamus omnia iuramenta , vel promiſsiones,ſuper talibus conſpirationibus, ligis, vel confœderationibus, hactenùs factas.

Vt autem paci,ac vnitati Religionis conſulatur; præcipimus,& inuiolabiliter obſeruari mãdamus:vt illi qui inuenti fuerint,eſſe tãquã duces,& Capita factionũ,diuiſionum,ſeù partialitatũ in Conuentu, vel Prouincià aliquà,

ſeù in totà Religione; ſi de hoc conuicti fuerint, vel ſi probabiliter fuerint ſuſpecti, & ſe canonicè purgare nequiuerint à Conuētu illo, vel Prouincià aliquà, vel à tota Religione, omnino cum efectu, ſeruatis ſeruandis, expellātur; nec vlterius admittantur; nec in hoc aliquis Superior, nec etiam Reuerendiſsimus Prior Generalis, aut P.N. Vicarius Generalis, diſpenſare poſsit.

Illi verò, qui tales defendere, vel eis auxilium, ſeù fauorem præbere non erubuerint, voce actiuà, & paſsiuà priuentur, per decennium, abſque vllà ſpe diſpenſationis.

### DE POENA INFAMANTIVM, ET *mittentium litteras infamatorias ſine nomine.*

### CAPVT DVODECIMVM.

CAueāt ſummopore Fratres noſtræ Religionis, cuiuſcumque conditionis exiſtant; ne Prælatis Eccleſiæ, vllo modo, detrahant. Si quis autem cōuictus fuerit, quòd de Summo Pontifice, vel Dominis Cardinalibus, Regibus, ſeù alijs Prælatis, aut Principibus, verba diffamatoria dixerit, vel ſcripſerit, pœnæ grauiſsimæ culpæ per mēſem ſubiaceat.

Si verò quæ dixerit, huiuſmodi ſint; quæ probari non poſsint, alter menſis eiuſdem pœnæ ſuperaddatur: quæ pœnà augeatur, vel minuatur, penſatà qualitate exceſſus. Idem ſit iudicium de eo, qui de Reuerendiſsimo Priore Generali, P.N. Vicario Generali, vel alio Religionis Prælato verba infamatoria ſimiliter dixerit.

Quare præcipimus, vt ſi aliquis Frater aduerſus Superiorem ſuum, nō malitioſè, ſed in veritate habuerit quicquam; quod, nullo modo, tolerari debeat; nō eum traducat, aut eius famam parui faciat: de quà, maximà cum circunſ-



cumſpectione, tractādum eſt: quinimmò inter ſe, & ipſum ſolum, cum charitate, priùs, & humilitate, ipſum admoneat. Quam admonitionem, ſi neglexerit, & contempſerit, aliquem de ſenioribus, & diſcretioribus Fratribus, quem ipſe audiat libentiùs, ad eum monendum inducat; & ſi adhuc non ſe correxerit, Superiori Prælato veritatē inſinuet, & declaret: vt ſic per illum corrigatur, vel in Capitulo Generali, aut Prouinciali, corrigendum procuret; nec alio modo præſumant de ſuis Superioribus diffamatores, obloqui, vel ſcribere, ſub pœnà prætaxatà, penſatà iniuriæ qualitate, & quantitate, & ponderato gradu Prælaturæ.

Diffamantes autem aliquem non Prælatum pœnæ grauioris culpæ per menſem ſubiaceāt, & ſi falsò diffamauerint, per duos menſes, & plus, vel minus, penſatà qualitate Perſonæ, & infamiæ. Semper autem intelligi volumus, quod infamia ſit notabilis; & Perſona non ſit aliàs de eodem crimine infamata; niſi ſufficienter de falſitate poſteà conſtiterit, & omnis diffamator tali diffamato famā publicè reddere compellatur; ſi quod dixit probari nō poſſit.

Statuimus, & ordinamus, & omnes ac ſingulos Fratres noſtræ Congregationis, primò, ſecundò, & tertiò, horramur, & monemus, & eiſdem ſtrictè præcipimus, per obedientiam ſalutarem; ne quis eorum per rithmos, vel cantilenas, aut quaſuis ſchedulas, vel litteras ſine nomine, & cognomine proprio, vel libellos famoſos, aut deſcriptiones, in quouis loco, etiam in partibus deſignatas, aliquē diffamare, vel conuicijs afficere, audeat, quouis modo.

Contrà facientes verò, ex nunc, prout tunc, trinà monitione præmiſsà, in his ſcriptis, licet inuiti, excōmunicationis vinculo innodamus, & per duos menſes pœnæ culpæ grauiſsimæ adiudicamus, ac voce per annū priuamus.

DE

## *DE POENA LVSORVM, HISTRIONVM, & maleficorum,*

### CAPVT DECIMVM TERTIVM.

STatuimus, & ordinamus, quod nullus Frater noſtræ Religionis, nec cùm alio Fratre; nec cùm aliquo ſæculari, ad aleas, vel chartas, vel taxillos, ludere audeat: quin & alios ludos indecentes, & inhoneſtos, Fratribus prohibemus, ſiue depoſito pretio; ſiue non.

Si quis verò conuictus fuerit, ſe luſiſſe ad chartas, ſiue taxillos cum Fratribus, vel ſecularibus in Conuentibus, vel in domibus ſæcularium, pœnam grauioris culpæ, pro qualibet vice, ſuſtineat.

Item prohibemus ludos laruaticos, & hiſtrionicos, & quācumque repræſentationem, more ſæcularium, ſub eàdem pœnà prætaxatà ijs, qui repræſentauerint: & ſub pœnà priuationis ab Officio, ſine aliquà remiſsione, Prælato, qui huiuſmodi licentiam repræſentandi Fratribus conceſſerit, vel repræſentari per Fratres tales comœdias permiſerit.

Item ſtatuimus, quòd qui artibus prohibitis vtuntur, atque ſtudent, per duos meuſes, pœnam grauiſsimæ culpæ ſubeant, ac etiam alias diuturniores, iuxtà qualitatem delictorum, & per quinquennium voce vtràque priuentur.

Eamdem pœnam ſubeant, qui apud ſe libros, vel libellos, chartas, vel ſchedulas de his, & ſimilibus habuerint; niſi canonicà purgatione, ſe purgauerint. Libros verò, vel ſchedulas huiuſmodi, coram omnibus, igne comburi mandamus.





## *QVOMODO APOSTATAE AD ORdinem recipiantur, & de pœnitentià eorumdem.*

### CAPVT DECIMVM QVARTVM.

LIcèt conſideratà ratione apoſtaſiæ, ille tantùm Apoſtata verè iudicari debeat, qui Habitum ſuæ Religionis temerè reliquit, vel etiam cum Habitu à Religione receſsit, cum animo deliberato non reuertēdi, immò retrocedendi à Religione: nihilominùs tamē, poſtquam Sacroſanctum OEcumenicum, & generale Concilium Tridētinum, Seſſ. 25. cap. 4. prohibendo ſtatuit; ne quis Regularis à ſuo Conuentu recederet, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi; niſi ab eis miſſus, aut vocatus fuiſſet: inſuper ſtatuit, vt ſi quis ſine prædicto mandato, in ſcriptis obtento, repertus fuiſſet, ab Ordinarijs locorum, tanquā Deſertor ſui Inſtituti puniretur: ſtatuimus, & ordinamus, ac in virtute Spiritus Sancti præcipimus, & mādamus; ne aliquis Frater noſtræ Congregationis, profeſſus, abſque licētia ſui Superioris, petità, & obtentà, in ſcriptis, à prædictà Congregatione, Prouincià, vel Conuentu, diſcedere præſùmat.

Si autem (quod Deus auertat) Fratrem aliquē, ſine prædictà licentià à præſcriptà Religione, Prouincià, vel Conuentu diſcedere, & aufugere contingat: illum primò, ſecūdò, & tertiò monemus, inducimus, & hortamur, eidēque præcipimus per obedientiam ſalutarem, vt per totam illā diem, quà prædictā Religionē, Prouinciā, vel Conuētū, reliquit, & quā ei, pro termino perēptorio, aſsignamus, ad ipsā Religionē, Prouinciā, vel Conuentum de facto redeat; qui, ſi illà die nō redierit, ſciētes illū ex hoc cōtumacē, & Apoſtatā, vel ſaltē fugitiuū, trinà canonicà monitione premiſſà, in his ſcriptis, ex nūc, prout tūc, ipsū (licèt in-

uiti) excommunicationis vinculo, innodamus.

Sed ne ex hoc indiſcreti Prælati occaſionem ſumant ſubditos ſuos plus æquo contriſtandi, & malè tractandi; quia ad Prælatos Superiores recurrere non valent: volẽtes huiuſmodi vexationi de ſufficiẽti remedio prouidere, ordinamus,& ſtatuimus, vt ſi aliquis Frater cuiuſuis Prouinciæ,cuiuſcumq; ſtatus,vel cõditionis ſit, à ſuo Prouinciali eundi ad P.N. Vicarium Generalem facilem recurſum non habuerit,ſiue facultatem obtinere nequiuerit: & exiſtimauerit;nõ ſolùm ligitimam, ſed & neceſſariã,& vrgentẽ cauſam ſe habere: illam proponat duobus adminùs Diffinitoribus Prouinciæ, vbicumq; fuerint: ad quos accedẽdi,ſi neceſsè fuerit,ei nullo modo licentia denegabitur: quibus in meritum ſalutaris obedientiæ præcipimus, vt Deum præ oculis habentes, diligenter, dictam cauſam perpendãt,& examinent, & ſi illam iudicauerint neceſſariam,& vrgentem,ſub eodem præcepto, eis iniungimus, vt prædicto Fratri litteras teſtimoniales apertas cõficiãt, etiam renitẽte Prouinciali,quibus P.N. Vicario Generali ſignificent,illum cum ligitimà cauſà, & licẽtià Religionis accedere,citantes Capitulum præſens iſtarum Conſtitutionum,ac per litteram aliam clauſam,eidem Fratri datam,P.N.Vicario Generali totam cauſam exponant: quà ducti talem licentiam,vel fidem,conceſſerunt, & in vtriſque litteris vterq; ſubſcribat: cùm quibus huiuſmodi Frater ad P.N.Vicarium Generalem accedere liberè poſsit, ac ſi vocatus ab eodem per litteras, vel à Prouinciali ſuo miſſus fuiſſet;nec aliquam cenſuram,aut pœnam incurrat.

Si autem Diffinitores prædicti cauſam non eſſe vrgentẽ iudicauerint,non ſolùm licentia ei denegetur, verùm etiã & pœnitentia ſuæ leuitati debita imponatur, & ſi receſſerit,excommunicationem ſuperiùs latam incurrat.

Si verò aliquis Frater, à Priore ſuo Conuentuali eundi

ad



ad Priorem Prouincialem licentiam obtinere non potuerit: eodem modo ſe habeat cum Patribus Conſilij Conuentus: & ipſi ſimiliter circà licentiam, ſeu fidem ei concedendam. Quod ſi propter hoc, vel Prior Prouincialis, cum Diffinitoribus,vel Prior localis cum Conſiliarijs cõtenderint, à Superioribus ſuis grauiter puniantur.

Quicumque a Congregatione noſtrà apoſtatauerit, ſi poſteà miſertus ſui,& pœnitentià ductus,vel vi aliquà cõpulſus ad Religionem redire voluerit, vſque tertiò porta miſericordiæ ei non claudatur; niſi tale quid commiſerit, vel in Religione,vel extrà, quòd ad receptionem in Religione ſe reddiderit indignum.

Modus autem receptionis talis erit. Primò carceri mãcipetur: deindè primà die Veneris, ſiue Ferià ſextà, in Choro,ſeu Capitulo,ſi venerit in Habitu ſæculari, exuat eum, antequam ingrediatur Capitulum, vbi recipiendus erit,& indutus Habitu noſtro,ita vt vſque ad cingulũ deſuper nudus remaneat,cum virgis in manibus, capite diſcooperto,ante pedes Prioris ſe proſternens,humiliter dicat ſuam culpam,atque ſurgens ad Prioris mandatum, ab eo reprehendatur,& charitatiuè corripiatur; ſed nõ exaſperetur.

Primò autem exigat ab eo iuramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ,quæ fient ei pro cauſa abſolutionis: quo iuramento præſtito iniungatur ei;ne de cætero talia cõmittat. Ex tunc vapulet ad pedes Prioris,quantum ei videbitur,& poſteà ſeſſorum vtriuſque lateris (non tamẽ Sacerdos vapulet à non Sacerdote) dicẽtium alternatim, *Miſerere mei Deus,&c.* ſemel, vel pluries, iuxtà multitudinem Fratrum.

Deindè redeat ad pedes Prioris,& ſtet genibus flexis, capite,& corpore inclinato,& cũ virgis in manibus. Prior verò ſurgat,& cæteri poſt eum,& capite detecto,dicat.

*Kyrie eleiſon, &c. Pater noſter, &c. Et ne nos, &c.*

Verſ. *Saluum fac ſeruum tuum Domine.*

Reſp. *Deus meus ſperantem in te.*

Verſ. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*

Reſp. *A facie inimici.*

Verſ. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

Reſp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

Verſ. *Domine exaudi orationem meam.*

Reſp. *Et clamor meus, &c.*

Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum, &c.*

## OREMVS.

*Deus cui propriũ eſt miſereri ſemper, & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, vt hunc famulum tuũ ad confeſſionem, & pœnitẽtiam, veramque emendationẽ, tuà inſpiratione compunctum, quem excommunicationis ſententia ligat miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat. Per Chriſtum, &c.*

Tunc ſedens, abſoluat eum, dicens.

*Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui Beato Petro Apoſtolo, collatis clauibus Regni cœleſtis, dedit poteſtatẽ ligandi, atq; ſoluẽdi, ipſe per ſuam pijſſimam miſericordiam te abſoluat, & authoritate ipſius, & Beatorũ Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius, mihi in hac parte cõmiſſa, in quantũ poſſum, debeo, & valeo. Ego te abſoluo à vinculo excõmunicationis, ſuſpẽſionis, & interdicti, quod incurriſti propter apoſtaſiam, & retroceſſionẽ à noſtrà Sacrà Religione* (& ſi fuerint plures caſus dicat, *propter tales caſus N.N. &c.* illos nominãdo) *toties, quoties illud, vel illa incurriſti, & reſtituo te Sacramẽtis Sanctæ Matris Eccleſiæ, & cõmunioni, ac vnitati Fidelium. In nomine Patris,* ✠ *&c.*

Deindè imponat ei Caputium, & ſurgens dicat.

Verſ. *Dominus vobiſcum.* Reſp. *Et cum, &c.*

ORE-



## OREMVS.

*Deus miſericors, & clemẽs, ſine quo nihil inchoatur, nihilque boni perficitur, adſint noſtris humilibus precibus tuæ pietatis aures, & hunc famulum tuum, qui perierat, & inuentus eſt: quem in tuo ſancto nomine ad ſacræ noſtræ Religionis gremium reuertẽtem benignè recepimus, ab omnibus tentationibus defende, & concede ei, vt in hoc ſancto propoſito, & primà vocatione ſuà, deuotus perſiſtere, & remiſſione peccatorum perceptà, ad electorũ tuorũ conſortiũ peruenire valeat. Per Chriſtũ, &c.*

Iſte pœnam, quæ in Capitulo de grauiſsimà culpà notabitur, pro primà apoſtaſià, per menſem integrum, ſuſtinebit, cùm additione quòd ſine caputio ſemper recluſus in carcere manebit. Inſuper carebit voce, & loco, donec poſt annũ; & nõ anteà, fuerit cum eo per Prouinciale Capitulum, ſi Patribus videbitur, diſpenſatum: ad Officium cùm curà animarum, vſque ad quinquennium nullatenus aſſumatur; nec ei vnquam computetur inter annos Religionis tempus apoſtaſiæ.

Si verò ſecundò apoſtatauerit, ſupradictà pœnà, per duos menſes, puniatur, & voce actiuà, ac loco careat, donec poſt biennium; & non anteà, fuerit cùm eo, per Generale Capitulum diſpenſatum, & ad omne Officium cùm curà animarum ineligibilis permaneat.

Si autem ad tertiam apoſtaſiam deuenerit, per tres mẽſes, pœnæ ſupradictæ ſubiaceat, & voce, ac loco, careat, donec cùm eo, per duo Capitula Generalia, fuerit diſpenſatum, & ad omne Officium cùm curà animarum ineligibilis maneat in perpetuum.

Si demũ ad quartã apoſtaſiam peruenerit, tunc ſeruari debet Conſtitutio Vrbani VIII. de Apoſtatis, & eiectis.

Ei autẽ, qui cum ſcandalo de Religione exiuerit, vel in ſæ-

ſæculo inhoneſtè conuerſatus fuerit, ſeù ibidem diutiùs permanſerit, iuxtà qualitatem ſcandali, vel delictorum, vel iuxtà moræ longitudinem, pœnitentia apoſtaſiæ debita, habito Patrum conſilio, augeatur.

Nullus in apoſtaſiâ exiſtens ad actus Conuentus, modo aliquo ſit admiſſus; nec Frater aliquis cùm eo conuerſetur; niſi pro ſuâ reductione, quovſque ab excommunicatione abſoluatur, & ſuæ culpæ pœnitentiam perfecerit.

Ille verò; qui non à Religione, ſed ab aliquâ Prouinciâ, quocumque prætextu, ſine prædictâ licentiâ, receſſerit, hoc modo, recipiatur. Primò, carceretur: deindè primâ die Veneris, in Choro, vel Capitulo, cùm Habitu ſed ſine Caputio tantũ, ducatur ad pedes Prioris: vbi proſtratus tranſgreſsionem ſuam, humiliter cõfiteatur. Tunc vapulet ad pedes Prioris, & vtriuſque lateris ſeſſorum (niſi fortè ad P.N. Vicarium Generalem recurrerit: tunc enim licèt mulctari, & puniri debet; non tamen diſciplinâ ab vtriuſque lateris ſeſſorum) & abſoluatur; ſi non fuerit iam abſolutus ab aliquo Superiore abſoluendi poteſtatẽ habente; non tamẽ ſuper eum Oratio. *Deus Miſericors* dicatur.

Iſte pœnam grauioris culpæ, per menſem, pro primâ vice, ſuſtinebit: quo tempore ſilentium obſeruabit ſemper, & vbique: & carebit voce per annum. Pro ſecũdâ verò duplicetur ei pœnâ. Pro tertiâ triplicetur, & voce careat, ac loco, vſque ad diſpenſationem duorum Capitulorum Prouincialium.

Si verò ad quartam peruenerit, ad P.N. Vicarium Generalem remittatur, qui eum in aliquâ Religionis Prouinciâ collocare debeat, abſque vllâ ſpe, ad eam Prouinciam, ex quâ receſsit, amplius reuertendi, & pœnam grauiſsimæ culpæ, per menſem integrum, ſuſtinere cogatur: & vo-



& voce, ac loco carebit, donec poſt annum cùm eo per Capitulum Generale fuerit diſpenſatum; niſi forte à ſeptem Patribus deputatis ad expulſionem, incorrigibilis cenſeatur: tunc enim, ſeruatis ſeruandis, expellatur.

Declaramus autem, quod in Religione noſtrâ, illũ dicimus a Prouinciâ receſiſſe, qui diſcedens ſine licentiâ; ab illâ recto tramite iverit ad aliam: & quòd qui taliter fecerit ſupradictæ pœnæ ſubiacere debeat: nam qui intra Prouinciam vagatur, vel terminos Prouinciæ, egreditur; non accedens ad Prouincialem nec ad aliquem Religionis Conuentum: etiam ſi ipſe dicat, ſe ſemper animum habuiſſe ad Religionẽ reuertendi; tamquam verùs Apoſtata à Religione puniatur: licet cùm Habitu Religionis inueniatur.

Si verò in ſui defenſionem adduxerit, ſe infirmitate fuiſſe detentum; nullo modo ei credatur; niſi litteris fidedignis id patère fecerit. Quapropter pręcipimus omnibus Prouincialibus: vt cùm aliquis Frater à ſuis Prouincijs, abſque licentiâ diſceſſerit, tempus ſui diſceſſus, quàm primum, Patri Noſtro Vicario Generali ſignificent.

Si autem Frater aliquis ab vno Conuentu in aliũ eiuſdem Prouinciæ, abſque licentiâ iverit, pro primâ vice in cellâ maneat clauſus, quouſq; abſoluatur in Capitulo & vapulet ad pedes Prioris; non autem ab vtriuſque lateris ſeſſorum, ſed tantum vt ſolet fieri, pro culpis ordinarijs, ſubeat verò pœnam grauioris culpæ, per quindecim dies, (dummodo recto tramite iverit) non tamen amittat locum, vel vocem. Pro ſecundâ duplicetur ei pœnâ: pro tertiâ triplicetur: quarta verò diſceſsio huiuſmodi pro primâ apoſtaſiâ habeatur, ac iudicetur, & ſic deinceps.

Declaramus etiam, quòd quando in iſtis noſtris Conſtitutionibus inuenitur, quòd ille, qui aliquando a Religione apoſtatauit, in Prouincialem eligi non poſsit, & quod

quod in Diffinitorem Capituli Generalis , &c. eligi debeat talis;qui nunquam à Religione apoſtatauerit , intelligendum eſt de primà,& verà,vel pro tali iudicatà apoſtaſià a Religione ; & non à Prouincià ; nec à Conuentu.

Diffinimus etiam,quod ſi receptores,qui ſecundũ Religionem poſſunt ſupradictos recipere,prædictam formã non ſeruauerint,in Capitulo Prouinciali,voce actiuà priuentur : & nihilominus , qui contra hanc formam receptus fuerit,vel punitùs,ad pœnas ſupradictas in omnibus teneatur,& voce in omnibus careat; quandiu pœnitentiã non adimpleuerit,in hoc Capitulo, aſsignatam.

Declaramus vltimo,quod ille tantùm debet dici fugitiuus,qui ab vna Prouincia ad aliam,ſeù ab vno Conuentu ad alium,abſque licentià,recto tramite,iverit: quando verò aliquomodo vagatus fuerit, dici debet Apoſtata.

*DE PVRGATIONE CANONICA LAborantium infamià.*

## CAPVT DECIMVM QVINTVM.

QVoniam in ſacris eloquijs admonemur , vt bonum nomen curemus,famamque non negligamus,Sapiente dicente,*Curam habe de bono nomine*:Statuimus,& ordinamus,vt ſi aliquis Frater,apud bonas , & graues Perſonas,de vitio aliquo,vel crimine notabili fuerit diffamatus;de quo tamen ſatis conuinci non poteſt : ſi ipſe petierit,indici ſibi purgationem canonicã;nullo modo ei denegetur: ad quam etiã poterit cogi,vt vel cõuincatur , & puniatur, ſi in purgatione defecerit, vel recuperet bonam famam,& habilis ad quæcumque reddatur. Indicenda verò erit purgatio Canonicà à Priore Prouinciali in hac formà.

Cum



*Cum contra te N. peruagetur infamia , apud bonas , & graues Perſonas,quod tale quid perpetraueris; non tamen factũ ſufficienter probetur, à quo conſtanter aſſeris te immunẽ. Nos vt infamiam tollamus à te, & ſcandalum ab alijs,purgationem canonicam , indicere tibi decreuimus, ideòque in virtute Sancti Spiritus, & ſub præcepto ſanctæ obedientiæ,ac ſub pœnà conuicti,tibi præcipimus,per præſentes,vt intra tot dies,à notitià præſentium, incepiſſe debeas purgationẽ canonicam,in Capitulo tui Conuẽtus, coram omnibus capitulariter congregatis,cũ his quinq; Cõpurgatoribus à te poſtulatis, & à nobis tibi conceſsis:videlicèt N. & N. &c. quam purgationẽ canonicam: ſi facere recuſaueris;aut nõ perfeceris,immò in eà defeceris,ſceleris cõtra te obiecti cõuictus habeberis. Præcipimus autẽ prædictis omnibus, & ſingulis Cõpurgatoribus,in virtute ſanctæ obediẽtæ, & ſub pœnà excõmunicationis,ipſo facto,incurrẽdà,quam trinà monitione præmiſsà,in his ſcriptis(licèt inuiti) ferimus,cõtra oppoſitũ faciẽtes:vt Deũ præ oculis habẽtes,non fictè,ſed verè, & realiter dicant quicquid ſenſerint,iuxta eorũ cõſcientias,de veritate , vel falſitate iuramenti facti à Fratre ſe purgante. Sub eadẽ pœnà præcipimus,tàm Compurgatoribus prædictis, quam Præſidẽti N. ne alicui vnquam reuelent;nec directè,nec indirectè quiſnam iurauerit in fauorem , vel in condemnationẽ huiuſmodi Fratris. Datum, &c.*

Volumus autem,vt,præter hanc pœnam, quicumq; auſus fuerit alicui reuelare,quod ſub tanto ſigillo conſeruari præcipimus: ſi de hoc fuerit ſufficienter conuictus, in perpetuum,abſque vllà ſpe diſpenſationis,careat voce, tàm actiuà,quàm paſſiuà.

Huiuſmodi Compurgatores ſint omnes bonæ famæ, & timoratæ conſcientiæ,& qui longo tempore Fratris purgandi cõuerſationem nouerint,ſecum etiam cõuerſantes,

Ss &

& qui fuerint de dicto caſu, ſeu ſuſpicione, & ſuſpicionis causà, informati plenariè, vel poſsint ſufficienter informari.

Prior in Capitulo, coram omnibus Fratribus, litteras ſupradictas Prioris Prouincialis legat: quibus lectis, infamiam Fratris, & cauſam ſuſpicionis proponat: eique præcipiat, ſub præcepto formali ſanctæ obedientiæ, vt veritatem confiteatur. Deindè infamatus coram Priore genuflectat, ac ſuprà ſancta Chriſti Euangelia, ſibi à Priore porrecta, altà voce, ſolemniter iuret, quòd ipſe nunquam perpetrauit illud crimen, de quo eſt infamatus.

Poſteà Compurgatores cum Præſidente, in aliquo ſeparato loco, congregati, primò omnes iurabũt, ſuper ſancta Chriſti Euangelia, ſe omnia plenè ſeruaturos, quæ in litteris Prioris Prouincialis, ſibi præcepta fuerunt: quòd ſi peieraſſe aliquando conuicti fuerint, præter alias pœnas, pœnà periurij puniantur.

Item poſteà Compurgatores ſigillatim iurabunt, quid ipſi credant; vel non credant, vel ſi ſibi videatur; ſeu non videatur, in ſuis conſcientijs, illum Fratrem iuraſſe, & dixiſſe vera in Capitulo, volens ſe purgare.

Qui ſe purgare nequiuerit tanquam reus, & cõuictus, ſecundum criminis grauitatem, puniatur: ſi verò fuerit debitè purgatus, debet continuò, per Præſidentem, & Cõpurgatores, certior fieri Prior Prouincialis, quatenus eum in bonà ſuà famà reſtituat, & reponat, per litteras ſuas, in hac formà datas.

*Nos Frater N. &c. ſacris eloquijs admoniti, melius eſſe nomen bonum, quam diuitias multas, & quam vnguenta pretioſa; non potuimus æquo animo ferre, te N. infamiæ peruagantis labe manère pollutum. Cum ergo contrà te curreret infamia, quod tale crimen opere perpetraſſes, nos ad illam diluendam tibi purgationem canonicam cum quinque Compurgatoribus indiximus: quos à te prolatos probauimus, tanquam Religioſos integræ, ac rectæ conſcientiæ, & probos viros, nobis optimè notos, quique tuam conuerſationem à longo tempore nouerunt, tecum etiam conuerſantes, & de dicto caſu, & ſuſpicionis causà, plenè informati fuerunt, qui tibi, ſub præcepto ſanctæ obedientiæ, ac præſtito iuramento, ad veritatem dicendam requiſito, & aſtricto, & conſtanter factum neganti; quin etiam innocentiam in hac parte aſſerenti, adhæſerunt, & in conſcientià ſuà aſſeruerunt, ſe credere, quod veraciter innocentiàm tuam aſſereres; & quod factũ in tanto præcepto non negares, ſi illud commiſiſſes. Idcircò ad leuationem tuæ famæ, & dilutionem infamiæ deſcendentes, viſis negatione, & aſſertione tuà, & Cõpurgatorum adhæſione, & conteſtatione: ſedentes in Camerà noſtrà, in ſellà, quam pro Tribunali, & loco iudicij eligimus, Deum, & iuſtitiam, præ oculis habentes, Chriſti nomine inuocato, dicimus, pronũtiamus, & ſententiamus, te N. ab infamià ſupradictà, illæſum, & liberum, & in facto innocentem, & iniuſtè affectum, nomine, & infamià prædictis, & tanquam innocẽtem, & liberum declaramus, & in poſterùm omnibus, & ſingulis, ſuper ijſdem; niſi alia cauſa (quod Deus auertat) de nouo oriatur, ſilentium perpetuum imponimus. In nomine Patris, ✠ &c. Acta, lata, & lecta, &c.*



### DE POENA PRIVATIONIS VOCIS, & loci.

## CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Declaramus, quòd quandocumque in Conſtitutionibus, ſiue Diffinitionibus noſtris, ſeu à quocũque Re-

ligionis Superiore priuatur aliquis voce paſsiuà; hic talis non ſolùm eſt inhabilis ad Officia cum curà animarum, ſed ad omnia etiam alia, quæ per electionem dari conſueuerunt; non tamen intelligitur inhabilis ad quæcumq; Religionis Officia: poteſt namque exercere Officium Infirmarij, &c.

Quando verò quis priuatur voce actiuà; non ſolùm non poteſt ſuffragium ferre in electionibus; ſed neque in alio quocumque, quãuis parvi momenti, negotio. Quare præcipimus, vt quando in Capitulo proponẽdum fuerit aliquid, qui voce actiuà fuerint priuati, cum alijs egrediantur; qui vocem actiuam non habuerint; nec Prior cum aliquo diſpenſare valeat, vt ibi remaneat.

Cum autem aliquis priuatur voce abſolutè, ſine aliquà limitatione, vtràque voce intelligatur priuatus. Prohibemus autem; ne aliquis Prælatus Fratrẽ aliquem voce priuare poſsit, præterquam in caſibus, in Conſtitutionibus, vel Diffinitionibus, expreſsis, excepto Prouinciali, de cõſilio tamen, & conſenſu Diffinitorum.

Declaramus, quòd quando aliquis commiſerit culpam, cui in Conſtitutionibus, ſiue Diffinitionibus, ſit impoſita priuatio vocis; ſi huiuſmodi vocem non habuerit, vel ipsà fuerit, propter aliam culpam aliàs priuatus, illa pœna in aliam commutetur: tanquam ſi in Conſtitutionibus, vel Diffinitionibus, taxata non fuiſſet.

Qui verò loco priuatus fuerit, ſi ſit Sacerdos, vltimũ habeat locũ, inter omnes Sacerdotes. Si nõ fuerit Sacerdos, vltimum habeat locum, inter omnes Profeſſos non Sacerdotes, & ſic de cæteris: & hoc obſeruetur vbicumque Fratres conuentuàliter fuerint congregati.

Quod ſi Frater loco priuatus alium quàm vltimum locum (vt dictum eſt) occupare præſumpſerit, & de eo admonitus ſe non emendauerit, ex tunc ad recuperandum

ſuum,



ſuum locum ſit inhabilis; niſi Capitulum Prouinciale ſuper hoc ſpecialiter diſpenſauerit.

## *DE POENA INCARCERATIONIS, ET torturæ.*

## CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

IN ſingulis Conuentibus noſtræ Cõgregationis, ſit carcer vndique munitus, & tutus, cum compedibus; qui alteri vſui non applicetur; qui tamen non adeo tetro, atque horrendo ſitu ſit, vt Fratres necentur, ſed dumtaxat caſtigentur; vbi verò nõ fuerit commoditas habendi carcerẽ; ſint ibi nihilominus compedes, quibus noxij coercèri poſsint.

Quicumque, propter ſua demerita, in carcerem coniectus fuerit, antequam intromittatur, caputio priuetur; nec ei vllo modo reddatur; niſi quando è carcere eductus fuerit. Cuſtos verò carceris, qui carceratum caputio nõ priuauerit, vel exiſtẽti in carcere caputium dederit, pro qualibet vice, abſque caputio ſemel in terrà comedat; nec Prior, ſuper hoc, quouis modo diſpenſet.

Item præcipimus, in virtute Sancti Spiritus, cuique Fratri, qui pro tẽpore cuiuſque carceris, vel carcerati Cuſtos fuerit; ne vllo modo per ſe, vel per aliũ, Fratri condẽnato ad ieiunium panis, & aquæ, aliquid aliud præter panem, & aquam, nec ei, qui condẽnatus fuerit ad ordinarium ieiunium, pluſquam ſemel in die, cibaria quadrageſimalia miniſtrare præſumat, vel miniſtrari faciat, ſeù permittat, abſque ſpeciali licentià, & expreſsà Superioris. Qui verò auſus fuerit hoc noſtrum præceptum temerè trãſgredi, ad tot ieiunia, & talia obſeruanda in medio Refectorij, per totam menſam teneatur, & compellatur, quot, ſui causà, carceratum fregiſſe Priori conſtiterit.

Præ.

Præthereà, ſi quis, exigẽtibus ſuis demeritis, fuerit in vinculis poſitus, aut carceri mancipatus, & aliquis de Fratribus noſtris, quicumque ſit ille, ad fugiendũm, per ſe, vel per alium, eidem dederit, vllo modo, auxilium, cõſiliũm, vel fauorem, vel limam, martellum, aut quodlibet aliud inſtrumentum tradiderit, vel tradi procurauerit, ad infringenda, vel ſoluenda vincula, ſeù alia inſtrumenta præſtiterit euadendi; licet non euaſerit, carceri mancipetur, abſque ſpe gratiæ, quandiù ille, cui dedit auxiliũ, vt euaderet, debuit remanſiſſe.

Si autem per malitiam, aut negligentiam Cuſtodis, aliquis carceratus fugerit, ipſe talis ponatur loco fugientis; quovſque per illum, per quem poterat fugiens liberari, liberetur, habitâ ratione malitiæ, vel negligentiæ.

Item ordinamus, quod nullus Frater, cuiuſcũque gradus, aut conditionis exiſtat, ingrediatur ad carceratos, causâ viſitationis, vel miniſterij, aut quouis alio modo, abſque ſpeciali licentiâ Superioris, ſub pœnâ grauioris culpæ, tàm ingredienti, quàm Cuſtodi permittenti, infligendâ.

Præthereà ſtatuimus, quòd ſi aliquis infametur de aliquo crimine, vel notetur, propter quod, ſi verum eſſet, meritò puniendus foret, pœnâ carceris: ſi de eius fugâ probabiliter timeatur, Superior poſsit ipſum in firma cuſtodiâ retinère, etiam intra carcerem; ſi cella ipſius tuta non fuerit: ipſum etiam vinculando: ſi neceſſe fuerit; non per modum carceris, vel pœnæ, ſed per modum cuſtodiæ; ne fugiat; quovſque de crimine prædicto fuerit debitè informatus.

Mandamus autem Superiori: vt ſtatim, & celeriter procedat ad inquiſitionem faciẽdam de crimine ſupradicto, meliori modo, quo poterit. Prædictus verò Frater caputio nõ priuabitur ante ſentẽtiam. Idẽ poterit fieri, ſi quacumque aliâ ex causâ, de alicuius fugâ probabiliter timeatur.



Per modũ verò pœnæ nulli Prælato licebit Fratrẽ aliquem carceri mancipare, vel in compedibus tenere; niſi in caſibus, in Conſtitutionibus expreſsis, vel de conſenſu Patrum Conſilij.

In cellâ verò propriâ Fratrem includere poterit Superior, ſi caſus exegerit, de conſilio adminus duorũ Deputatorum, vel in defectu eorum, de conſilio duorum ex ſenioribus Conuentus.

Fugiens ex carcere, vel ex aliâ pœnâ, cui pro culpis ſuis obnoxius erat, ſi poſteà redierit, vel captus fuerit, pœnis, in quibus erat, & aliquãtulum grauioribus, ſubiacère cogatur.

Innouamus, & obſeruari præcipimus antiquam Diffinitionem totius Ordinis noſtri, quæ ſic habet. Vt ſcelerati, & peſtiferi viri, ſi qui fuerint (quod abſit) poſsint in Ordine de ſuis ſceleribus apertiùs cõuinci, & corrigi: ideò diffinitionem, quâ prohibetur; quòd nullus Officialis noſtri Ordinis audeat à ſubdito, vel ſubiecto, veritatem aliquam, per tormẽta, vel ſupplicia, extorquère: præſenti declaratione decernimus, debere intelligi de ſupplicijs, & tormentis crudelibus: quæ quoquo modo poſſent periculum inducere Perſonale.

Volumus enim, & in fauorem correctionum permittimus, vt Prouinciales, cũ moderamine Religioni debito, caſibus, Perſonis, ac circumſtantijs cogentibus, maturè penſatis: de conſilio aliquorum ſeniorum, ſeù bonorum Fratrum Prouinciæ, talia facere poſsint.

Cui diffinitioni addimus, quòd commiſsionem, & facultatem, dare, & concedere Prioribus poſsint, ad huiuſmodi in aliquo particulari caſu facienda.

QVAE

*QVAE SIT LEVIS CVLPA, ET DE POENA ei debitâ.*

## CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

LEuis culpa eſt: ſiquis ſine licentià Superioris in Conuentu cùm extraneis loquatur: ſiquis Sacerdos ſine calceis Miſſæ ſacrificium celebrauerit: ſiquis in Choro legendo, vel cantando offendens, non ſtatim ſe humiliauerit, terram deoſculans: ſiquis Diuino Officio nõ intẽtus, vel in alijs locis publicis, vagis oculis, & motu irreligioſo, oſtenderit leuitatem: ſiquis in Eccleſià, vel in dormitorio inquietudinis aliquid fecerit: ſiquis, diſcooperto capite, per vicos inceſſerit: ſiquis diſſolutè, & inordinatè ridẽs cachinnis, vel ludis, dictis, vel factis, alios cõcitauerit ad ridendum: ſiquis, ex aliquo Conuentu exiens, vadẽs, & rediens, benedictionem genuflexus accipere neglexerit: ſiquis ad lectiones in Choro dormierit: ſiquis Altare, vel ornamentum Eccleſiæ negligenter tractauerit: ſiquis veſtes, vel libros ſibi datos, ſtatuto tẽpore non repoſuerit: ſiquis aliquid vtenſilium fregerit, vel perdiderit: ſi liber, in quo legendum eſt, cuiuſcumque neglectu defuerit: ſiquis ad Capitulum, vel communem refectionem, vel collationem, ob negligentiam, non interfuerit: ſiquis otioſum verbum, ſeù vaniloquium dixerit: ſiquis eorum, qui Officijs deputati ſunt, in aliquo negligens inuentus fuerit: ſiquis ſilẽtium fregerit: ſiquis pro victu, vel veſtitu murmurauerit.

Pro ſupradictis culpis, & his ſimilibus imponatur Sacerdotibus Pſalmus, vel alia Oratio in medio Refectorij dicenda; non Sacerdotibus verò, vt ſemel in terrà comedant, in medio Refectorij: quovſque miſericordia, & li-



licentia ſurgendi à Priore concedatur, quàm genibus flexis poſtulabit vnus ex antiquioribus, & grauioribus Sacerdotibus.

*QVAE SIT GRAVIS CVLPA, ET DE pœnà ei debitâ.*

## CAPVT DECIMVM NONVM.

GRauis culpa eſt: ſiquis immodeſtè, cum Fratrè aliquo, vel cum ſæculari, contenderit: ſiquis alicui Fratri, vel ſæculari, opprobrium, vel nomenclaturam, quæ cedat in deriſum, dixerit, aut ſcripſerit, vel aliquem defectũ naturalem, animo iniuriandi, obiecerit: ſiquis mẽdacium ex deliberatione, & ex intentione, dixiſſe, deprehẽſus fuerit: ſiquis turpem ſermonem protulerit, vel ſcripſerit: ſiquis, abſque neceſsitate, aliquid, licèt ſit verum, cum iuramẽto affirmauerit, vel negauerit: ſiquis Fratri præteritam culpam, pro quà iam ſatisfecit, improperauerit: ſiquis alicui Fratri indulgentiam à ſe petenti de aliquo commiſſo, veniam negauerit: ſiquis alicui detraxerit, vel de eo grauiter murmurauerit: ſiquis ſilentium frangere in conſuetudinem duxerit: ſiquis in priuatis cellis ſilentium fregerit: ſiquis culpam ſuam, vel aliorum, proteruè, vel ſuperbè, defenderit: ſiquis accuſans, vel proclamans, in accuſ[a]tione, vel proclamatione, iurgium fecerit: ſiquis cum illo, à quo accuſatus, vel proclamatus fuerit, ſuper eo contenderit (*nam qui odit increpationes inſipiens eſt*) ſiquis procedẽs vbi fœminæ ſunt, in vſu habuerit, in eas oculos figere, vel cum fœminà ſolus; & non de cõfeſsione, locutus fuerit; niſi breuiter interrogando, vel reſpondendo, vel de licentià Prioris: ſiquis ieiunia Religionis fregerit: ſiquis in tabernis bibere; vel comedere, non erubuerit, præterquam in itinere: ſiquis poſtquam miſſus fuerit, in contemptum obedien-

Tt

dientiæ, ſine licentià, ante terminum ſibi præfixum, reuerti præſumpſerit, vel, vltra terminum ſibi aſsignatum, moram fecerit per diem.

Pro huiuſmodi, & ſimilibus culpis, Sacerdotes, pro primà vice, ſemel in terrà comedant: modo, quo ſuperiùs dictum eſt; pro ſecundà, recipiant diſciplinam; non Sacerdotibus verò, vna diſciplina cum virgis, ſuper humerum nudum, publicè imponatur, cum Pſalmo, ad placitum Prioris.

## *QVAE SIT GRAVIOR CVLPA; ET de pœnà ei debità.*

## CAPVT VIGESIMVM.

GRauior culpa eſt: ſiquis blaſphemiã euomerit: ſiquis extrà iudicium peierauerit: ſiquis ieiunium ab Eccleſià inſtitutum fregerit: ſiquis mortale peccatum manifeſtè commiſerit: ſiquis ſciens, & volens, ſententiam excommunicationis incurrerit: ſiquis ſciens ſe eſſe excommunicatum celebrauerit, vel in ſuis Ordinibus miniſtrauerit: ſiquis per contumaciam, & manifeſtam rebellionẽ, Priori ſuo, per diem integrum, inobediens extiterit, vel cum eo intùs, & foris, poſtpoſità debità reuerentià, & paternali timore, quaſi de pari contendere auſus fuerit (volumus enim noſtræ Religionis Superioribus locum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac S. P. N. Auguſtini tenentibus, à ſuis ſubditis, ſummam obedientiam, & reuerentiam exhiberi) Siquis item ebrius aliquando, etiam ſemel tantùm, deprehenſus fuerit: qui verò hoc duxerit in conſuetudinem, pro infami habeatur.

Qui de huiuſmodi, & ſimilibus culpis, confeſſus, vel conuictus fuerit, per hebdomadam, careat loco; nec cum ex-



extraneis loquatur; nec foras mittatur: quo tempore, ſecundà, quartà, & ſextà ferià, coram toto Conuentu, recipiat diſciplinam, & in terrà, ſuper ſcabellum, vel lapidem nudum, ſemèl in die comedat, vſque ad finem mẽſæ, abſque diſpenſatione, de his, quæ Prior, per miſericordiam, apponi iuſſerit; nec aliquis audeat pro eo veniã poſtulare: & præter hæc, aliæ etiam pœnæ addantur, iuxtà menſuram, & grauitatem delictorum.

## *QVAE SIT GRAVISSIMA CVLPA, & de pœnà ei debità.*

## CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

GRauiſsima culpa eſt: ſiquis fuerit falſarius: ſiquis grauem aliquam læſionem alicui intulerit: ſiquis ſe fornicationis crimine maculauerit: ſiquis confeſsiones reuelauerit, & cætera huiuſmodi, quæ ſuperiùs poſita ſunt, in ſuis proprijs Capitibus.

Qui de huiuſmodi, & ſimilibus confeſſus, vel conuictus fuerit: poſtquam, per aliquos dies, in carcere ſteterit, primò in Capitulo, ſcapulis nudatis, condignam ſuæ culpæ ſubeat diſciplinam: quà impoſità à Priore, vapulet ad pedes vtriuſque lateris ſeſſorum, prout ſuperiùs dictum eſt: deindè in carcere claudatur, vſque ad horam prandij, & tunc in medio Refectorij, in terrà ſedens, panem, & aquam ſolùm, ſine diſpenſatione, manducet, & ibidem ſedeat, vſque ad vltimum ſignum completæ refectionis.

Tunc alijs ſurgentibus, ipſe de terrà ſurgat, dictàque ab Hebdomadario Oratione, ad portam Refectorij ſe proſternat: ità vt omnes deſuper eum tranſeant, & ſtatim

